

Universitätsbibliothek Wuppertal

Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria, Historica, Critica

Ruhnken, David

Lugduni Batavorum, 1823

Praefatio ex prima editione Lexici Timaei

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1660](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1660)

57 P R A E F A T I O

EX PRIMA EDITIONE

L E X I C I T I M A E I

AEQUO ATQUE ERUDITO

L E C T O R I

C onstat inter omnes bene dicendi magistros, *Platonem*, divina quadam ingenii vi concitatum, magnificentum quoddam, nec de medio sumptum, dicendi genus esse secutum. Nec inter ipsos Veteres defuerunt, qui propterea ejus orationem poemati, quam pedestri sermoni, similiorem judicarent. Gravitationem vero et quasi auctoritatem scriptis suis conciliabat verbis antiquis, et a vulgi familiaritate abductis; quae *γλώσσας* vel *λέξεις* vocant Critici veteres. Quae cum ipsis Graecis, florente adhuc eorum lingua, obscuritate sua negotium facessero: Grammatici operae pretium se facturos existimarunt, si *γλωσσήματα* illa in minus peritorum gratiam sigillatim interpretanda susciperent. Primus, quantum sciam, *Platonis* studiosos hac parte juvit *Harpocration*, Argivus, Caesaris familiaris, quem, *Suidas* refert, *Λέξεις Πλάτωνος ἐν βιβλίῳ δυσὶν* edidisse. Sed tertio post C. N. seculo eandem rem majore apparatu egit *Boëthius*, cujus duplex

plex huc pertinens scriptum recenset *Photius* Biblioth. Cod. CLIV. Ἀνεγνώσθη ἐν τῷ αὐτῷ τεύχει, καὶ Βοηθῶ λέξεων Πλάτωνικῶν συναγωγή κατὰ στοιχείου, πολλῶν Τιμαίου συναγωγῆς χρησιμώτερον· προσΦωνεῖ δὲ Μελάνταρτινι τὸ συνταγματίον. De altero scripto idem Cod. CLV. Συνετάγη δὲ αὐτῷ (Βοηθῶ) καὶ ἕτερον τι Ἀθηναγορᾷ προσΦωνούμενον σπουδασμάτων, ὃ περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἀπορρομένων λέξεων ἐπιγράφει· ὃν εἰ τις τὰς λέξεις εἰς ἐν συναγωγή, συνεντάσσαν καὶ τὰς συνηγμένας Τιμαίῳ, ἀπρητισμένην παράσχοι τὴν ὠφέλειαν τοῖς τὰ Πλάτωνος ἀναγιώσκουσιν. Vide *Menag.* ad *Diog. Laërt.* III. 63. et *Fabric.* Biblioth. Graec. L. IV. c. 36. p. 582. Verum tum *Harporationis*, tum *Boethii* libri communi literarum naufragio perierunt. Paucata tantum ex iis decerpta fragmenta mihi apud *Suidam* videor odorari. Superest igitur, ut hanc bonis literis tam calamitosam jaecturam, si non omni ex parte, certe pro parte *Timaei* Lexico resarciamus. Hoc *Photius* Cod. CLI. ita describit: Τιμαίου Λεξικὸν περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι λέξεων. Ἀνεγνώσθη Τιμαίου πρὸς Γεντιανὸν περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι λέξεων κατὰ στοιχείου βραχὺ πονημάτων ἐν ἐνὶ λόγῳ. De ipso *Timaeo* quaedam in operis fronte dicenda essent. Sed ejus memoria aeque obscura est, atque *Gentiani*, cui libellum inscripsit. Nusquam certe vel minimam notam prodit, ex qua de aetate, qua vixerit, conjectura capi possit. Putares eum demittendum esse infra *Porphyrīi* aetatem, qui diserte laudatur v. Οὐχ ἤκιστα. At enimvero pluribus nec inficiandis rationibus istius loci *notata* ostendi potest. Ac primum quidem *Timaeus*, brevitatis mire studiosus, parcissime

alio-

aliorum utitur testimoniis, nec nisi in reconditi-
 ris significationis verbo, e. g. Σιούρα et Σφρηγών-
 τες. Atqui iudicii quam pravi fuisset, ad formu-
 lam οὐχ ἤμιστα probandam, cujus viginti et septem
 exempla in Platone reperiuntur, alium potius, quam
 Platonem ipsum, adhibere auctorem? Sed fac, eum
 in re tam levi alterius quoque scriptoris auctoritate uti
 voluisse, laudassetne, aliorum more Grammatico-
 rum, Thucydidem, Demosthenem, Xenophontem, ho-
 rumque similes? At citatur Porphyrius. Qui tan-
 dem scriptor? Nempe is, cui abstrusarum rerum
 scientiam tribuunt omnes, scribendi elegantiam ne-
 mo. Nec quisquam, si Suidae et Etymologi stupo-
 rem exceperis, Atticas formulas Porphyrii similium-
 que scriptorum auctoritate unquam probavit. Relin-
 quitur igitur, ut Porphyrii locum, sicut plures alios
 aliorum, ab inepta manu in Timaei Lexicon intrusum
 esse credamus. Etsi vero sic satis demonstravimus,
 Timaeum nullam Porphyrii fecisse mentionem, neque
 adeo quicquam ex ista temporis nota effici posse: sus-
 picor tamen, illum eodem, quo Porphyrium, seculo,
 id est, tertio floruisse. Haec enim aetas prae caeteris
 Sophistarum feracissima fuit, et praeter Porphyrium
 tulit Longinum, Plotinum, Boëthum, Jamblichum, mul-
 tosque alios, qui omnes Platonis studio incensi; ejus
 philosophiam et scriptis et ore propagabant. Horum
 igitur exemplo Timaeus incitatus, tentavit et ipse dif-
 ficultatem, quae ex glossis in Platone intelligendo
 oriebatur, quantum in se fuit, edito hoc libello mi-
 nuere. Praeter has Λέξεις Πλάτωνος, Timaeus alterum
 etiam grandioris molis librum scripsisse videtur, Συλ-

λογὴν ρητορικῶν ἀφορισμῶν, βιβλία ἑξή. Quem quidem *Suidas* tribuit *Timaeo* Tauromenitae, Historico longe clarissimo. Sed nemo, semel monitus, dubitabit, quin hoc scriptum ad juniorem nostrum *Timaeum* referendum sit. In hujusmodi enim argumentis Sophistarum diligentia versari solebat. *Suidas* autem quoties non scriptores confundit, homonymos maxime? Sequitur, ut de ipso *Timaei* Lexico dicamus accuratius. Parum liquet, utrum ita, ut nunc a nobis profertur, ab auctoris manu profectum sit, an integrius locupletiusque? Ex MS. nostri inscriptione, *Τιμαίου σοφιστοῦ ἐκ τῶν τοῦ Πλάτωνος λέξεων*, fere colligas, majoris operis excerptum esse. Verum et *Photius* exiguae tantum molis libellum tractavit: vocat enim *πονηράκιον βραχύ*. Inscriptionem vero forsitan ita quis refingere malit: *Τιμαίου σοφιστοῦ λέξ.* (i. e. *λεξικόν*) *τῶν τοῦ Πλάτωνος λέξεων*. Nos quidem ut hanc rem in medio relinquimus, sic magno opere dolemus, hunc *Timaei* foetum ab homine male feriato passim interpolatum esse, stultissimoque consilio tum aliorum, tum *Herodoti* inprimis, glossis amplificatum. Vide v. Ἄγχι θοεργοί, Ἀμφικτύονες, Γεωπειῖναι, Ἐνωμοτία, Ζεῖραι, Κνάφος, Πατρούχου παρθένου, Πύθιοι, etc. quae omni ex *Herodoto* huic esse derivata, tam manifestum est, ut, qui illa in *Platone* quaerere instituat, doctorum hominum irrisione ludendus sit. Ex aliis scriptoribus adpersae sunt voces, Ἐφέται, Ἰππαγρέται, Καλαγρέται, Σκιρίται, etc. Has quoque undelibet potius, quam ex *Platone* profluxisse, posito pignore cum quovis contendere ausim. Satis jam, puto, intelligunt harum literarum periti, sic nobis ex parte praeclarum

peruisse fructum, qui ex hoc Lexico ad ipsum *Platonem* pervenire debebat. Nam quamvis illud non tam ad emendandum, quam illustrandum *Platonem*, ab auctore comparatum sit, nobis tamen, qui Philosopho minus integro, quam tum erat, utimur, magno hoc opusculum adjumento esse poterat ad loca depravata indaganda, pristinoque nitore restituenda. Nunc autem, cum incertum sit, utrum glossa, quam restituere velis, ex *Platone* hausta sit, an ex alio scriptore: quis hujus Lexici auctoritate *Platonem* refingere audeat? Itaque, quamvis haud deessent conjecturae, rarissime tamen, *Timaeo* duce, *Platonem* tentavimus, nec fere, nisi aliorum Grammaticorum accessisset consensus. Vel sic tamen est, quod nobis gratulemur, *Timaeum* saevam barbariae tempestatem, quae alios in eodem argumento versatos afflixit, feliciter evasisse. Multi enim *Platonis* loci rectius, quam factum est antea, ejus ope intelliguntur: multae lectiones, ab ingeniosis hominibus perperam sollicitatae, egregie confirmantur. Potuerat quidem hoc argumentum latius et majore cum eruditionis apparatu tractare, ut *Erotianum* in *Hippocratis* Lexico, et *Harpocratonem* in X. Rhetorum fecisse videmus. Sed ipse fortasse *Galenum* imitari maluit, qui, post eruditissimos aliorum labores, non dubitavit *Hippocratis* glossas nude, nec adscita aliunde eruditione, enarrare. Veruntamen fatendum est, *Timaeum* in hac ipsa brevitate *Platonis* glossas tam docte, tamque accurate exponere, ut paucissimi vel nulli potius ejus errores sint a nobis deprehensi. Merito igitur jam olim *Dan. Heinsius* ad *Maxim. Tyr.* Diss. VIII. p. 52. *Ti-*

Timaei desiderium his verbis ostendit: Haec pluribus praeter morem et institutum nostrum persecuti sumus, ut studiosi Platonis, non opiniones tantum, sed et voces τὰς τῶ ἀνδρῶ ἐν χρήσει diligenter observent. Quodsi exstaret Timaeus, et tot illi Lexicographi Platonici, quorum cum alii tum Photius meminerunt, facile hoc labore supersederemus. Nunc e tot illis ne unus quidem nobis relictus est, de quo saltem illud poetæ usurpare liceat, Χελσα μὲν τ' ἔδιχ', ὑπερώην δ' οὐκ ἔδιχνε. Sed cum omnes hunc libellum temporis injuria deperditum crederent, ecce! *Bernardus Monfauconius, Vir ingentibus in rem literariam meritis insignis, in Bibliotheca Coisliniana, nunc Sangermanensi, Timaei Codicem reperit, ex eoque specimen, licet minus accurate descriptum, in ejus Bibliothecae Catalogo p. 477. promit. Codex est membranaceus, X. seculi, elegantissimus, et praeterea continet Apollonii Lexicon Homericum, Phrynichi Σοφιστικὴν Προπαρασκευὴν, variaque Glossaria. Ego vero cum hoc Lexicon multis de causis dignissimum judicarem, quod liberali manu assertum, tot seculorum vinculis liberaretur: petii a Viro praestantissimo, Henrico Galley, qui tum Parisiis degebat, ut, quacunq; ratione posset, illius apographum ad me curaret. Quod consilium ut acceperat Claudius Sallierius, singulare Galliae eruditae ornamentum, statim, pro eximio suo literas juvandi studio, amico nostro veteris membranae copiam fecit. Magnum autem fortunae munus in eo posuerim, quod describendi provinciam humanissime suscepit cultissimi ingenii nec vulgaris eruditionis vir, Joannes Capperonierius, qui eam tam*

egregie administravit, nihil ut supra fieri posse videatur. Nactus igitur apographum, *Timaeum* cum *Platone* committere, atque adeo ejus editionem parare coepi: in qua quae sit a nobis servata ratio, paucis exponendum videtur. Codicem veterem, qui unicus hodie superest, summa repraesentavi religione. Alterius Manuscripti vicem saepius supplerunt *Photius* MS. et *Suidas*, aliquando etiam *Etymologus* M. qui omnes magnam hujus Glossarii partem ad verbum descripserunt, nomine auctoris suppresso. Quam *Timaeus* et *Suidas* mutuam sibi praestiterint operam, non sine voluptate ex animadversionibus nostris cognosces. Jure autem mireris, Cl. *Kusterum* ex tot *Platonicis* glossis, quas *Suidas* in farragine suam congesserat, vix unam alteramve ad *Platonem* retulisse. *Photii* Lexicon ineditum hunc in finem evolvi apud *Virum* ingenii, doctrinae, probitatis fama clarissimum, *Joannem Alberti*, cui multis nominibus tantum debeo, quantum ab homine deberi homini plurimum potest. Porro suam cuique glossae sedem adsignavi; aliquas etiam latentes in lucem produxi, atque e fuga retraxi. Qua tamen in re multo plura praestare potuissem, nisi crebrae, de quibus modo dixi, interpolationes omne hoc conjecturarum genus anceps et lubricum reddidissent. Sed cum omnis haec opera ad *Platonem* emendandum illustrandumque comparata sit, saepe de illustrioribus ejus locis disputavi fusius, inprimisque fontes, ex quibus posteriores scriptores rivulos duxerint, diligenter indicavi. Equidem haud scio, utilitatisne plus habeat, an voluptatis, collatis inter se locis cognoscere, quid quisque a *Platone*

mu-

mutuatus sit, quoquo modo, quod *Platonis* erat, imitando fecerit suum. Qua de re pauca in universum juvat disserere. Vix quisquam post heroica illa tempora ad scribendum accessit, quin se totum ad aliquem antiquiorum, qui omnium consensu ingenii ac doctrinae principatum obtinerent, exprimendum imitandumque daret. Quemcunque vero sibi elegisset, ejus non solum orationis habitum formulasque loquendi, sed sententias etiam et bene dicta acerrimo consecratur studio, in succumque, quod ajunt, et sanguinem vertebat. Sed ex illis Heroibus quatuor in primis posterior aetas et admirata est, et studiose effinxit, *Homerum*, *Thucydidem*, *Platonem*, et *Demosthenem*. Ab *Homero* quidem quot lumina sententiarum, dicendique colores reliqui scriptores sumpserint, nihil attinet dicere. Sed ejus imitationem ut vel tiro deprehendat, sic ceterorum, quos dixi, ne eruditissimus quidem, nisi diu multumque in illorum scriptis sit volutatus. Horum bene cogitata et bene dicta si quis ita, ut digitos suos, norit, et in numerato habuerit, illum, ajo, infinitis veterum scriptorum locis, vel depravatis adhuc posse mederi, vel lucem reddere parum intellectis. Quo magis autem *Plato* ceteros ingenio scriptorumque varietate vicit, eo plures etiam prae *Thucydide* et *Demosthene*, nactus est imitatores. Ex hoc omnes, qui lautius quoddam dicendi genus secuti sunt, mirifice profecerunt, Sophistae maxime; cujus rei illustria specimina in *Animadversionibus* dedimus nostris. Ex hoc *Themistius* et *Synesius*, post *Petavii* etiam curas, centum amplius locis et sanari possunt, et explicari.

Ex hoc passim et lumen et medicinam expectat *Philostratus*; qua de re *Gothofr. Olearius*, merito ab injusta, quam apud cives suos obtinet, famae possessione depelli coeptus, ne per somnium quidem cogitavit. Ex hoc denique variis locis instaurandi explanandique sunt *Dio Chrysostomus*, *Plutarchus*, *Maximus Tyrius*, *Julianus*, aliique. Quo magis his, qui altioris Critices studio ducuntur, diu noctuque laborandum est, ut assidua lectione in justam *Platonis* consuetudinem veniant. Illuc revertor. In annotationibus nostris non tantum de *Platone*, sed de aliis etiam scriptoribus, invitante occasione, bene mereri conati sumus. In quo cum breviores esse volumus, vereor, ut interdum tirones, vel mediocriter eruditi, rationes, quibus ad mutandum inducti sumus, satis assequantur. Sed hi de conjecturis nostris ante ne existiment, quam ad aliquam de his rebus pervenerint iudicandi maturitatem. Ceterum notae nostrae, si nulla alia re, certe hoc nomine multis gratissimae sunt futurae, quod plurimas contineant quantivis pretii particulas, ex ineditis scriptoribus, qui rara felicitate ad me pervenerunt, decerptas. Majus tamen, et haud scio an maximum, libello nostro ornamentum adiecit *Tiberius Hemsterhusius*, a cujus consiliis praeceptisque, tanquam a fonte, quicquid sum, me fluxisse profiteor. Hunc Belgii Varronem, quoties abditum quiddam e tenebris eruendum esset, toties in consilium adhibui: ex hoc varias et recondita plenas eruditione animadversiones vel blande elici, vel importune expressi. Neque in eo pietatem, qua illum haud se-

cus,

cus, ac filius parentem, prosequor, mihi videor lae-
 sisse. Nam quo minus ipse, quae divinitus excogitavit, in lucem proferre curat, eo magis mihi, ne
 illis! literae nostrae carerent, enitendum putavi. Ita
 vale, erudite Lector, nobisque fave.

Usus sum *Platonis* editione,
 quae Lugduni apud *Guil.*
Laemarium MDCXC pro-
 diit.

— Ao. MDCCLIV.